



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 47. Gallorum Victoriæ de Etruriæ Duce reportatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

gis clientelam dedissent, libertatem, & Sæcul. XIV.
regiam simul auctoritatem in Italia tue- A.C. 1554.
retur, cum autem amicitiam, ac bene-
volentiam Regis prolixè Pontifici depræ-
dicasset, facile impetravit, ut induciæ
ante biennium factæ, & propediem exitu-
ræ in alterum biennium prorogarentur.

§. XLVII.

*Gallorum victoriæ de Etruriæ Duce
reportatæ.*

Post hæc Strozzius Senas venit, a ci-
vibus perhonorifice exceptus, inde
vero paulo post ad lustranda circumvi-
cina propugnacula egrediebatur. Sub
idem tempus Marinianus Marchio cum
suis copiis per Stagiam noctu itinere fa-
cto duabus a Senensi urbe leucis substi-
tit, præmissis duntaxat suorum trecen-
tis: non enim cum toto exercitu progre-
di poterat, eo quod ex assiduis imbris
itinera luto penitus destructa essent, ni-
hilominus quoddam munimentum pro-
pe Cammolix portam Gallis eripiebat.
Interea Cosmas Senenses, ut sese dede-
rent, datis literis provocabat, cum au-
tem Dux ab ipsis responsum minus ac-
ceptum reciperet, mox bellum iisdem
nuntiabat, quamvis Germani, & Hispa-
ni milites, quos Cæsar promiserat, pri-
mis tribus hujus anni supra millesimum
quin-

Sæcul. XVI. quingentesimi quinquagesimi quarti
 A.C. 1554. mensibus nondum advenissent.

§. XLVIII.

Galli prælio devicti.

*Thu. l. 14.
 Comm. de
 Mont. luc.
 liv. 3.*

Bellefor. l. 6.

*Pallav. hist.
 Conc. Trid.
 l. 13. c. 10. n. 2.*

Interea Galli ferme ubique victoriam reportabant (*) verum Ferrariensis Cardinalis discessus eorum res plurimum evertibat; hic enim Strozio infensus eundem supremi Imperii socium habere dedignabatur; quocirca Strozzius a Mariniani Marchionis exercitu, qui duodecim peditum millia, trecentos cataphractos, ac mille ducentos levioris armaturæ Equites recensebat, eximia fortitudine undique premebatur: Strozzius enim non nisi sex Italorum peditum millia, ac decem Germanorum, totidemque Grifonum, ac quatuordecim Gallorum vexilla habebat præter duo equitum millia, quibus Mirandulanus Comes præerat, ac in pluribus velitationibus nonnunquam victor recesserat. Verum die secunda Mensis Augusti tan-

(*) Quales hæ fuerint victoriæ, Continuator alias pro gentis suæ gloria adeo verbosus tacet: Thuanus autem, ex quo hic cuncta descripsit, nihil aliud refert, quam Cammolliæ munimentum a Ducis milite Gallis fuisse ereptum, & Bentivolium a Mariniano Marchione repulsum fuisse.